



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XVIII. De Clerico valde tenue Beneficium obtinente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

emptum transfert. Si ponamus talem esse exemptum, etiam iste erit à lege Ecclesiastica, consequenter contra hanc non peccabit, licet ratione scandali dati, vel indignationis, quam merito in talem Superior conciperet, peccati cujusdam condemnari possit. Ratio autem prioris est; quia del Bene, Layman, & alii asserunt, si in eadem urbe essent duæ Paræciæ, vel duæ Diceceses, una cis, altera trans fluvium, & in una celebraretur festum aliquod,

non autem in altera, non peccaturum, qui exiens è loco, ubi feriat, transierit in alterum, ubi non feriat, licet hinc labores manuales tota die exerceat: ergo cum nostrum Collegium & domus sæcularium taliter se habeant, idem de istis tenendum erit. Dixi autem præscindendo à scandalo, quod in talibus circumstantiis difficulter evitari poterit.



Casus XXVIII.

De Clerico valde tenue Beneficium obtinente.

CAjus Clericus, quia valde tenue Beneficium possidet, ex suo Confessario Quær. Utrum ad recitandum Breviarium quoad singulos dies sit obligatus?

Synopsis.

I. Definitur Beneficium.

2. Quodnam Beneficium pro tenue sit habendum?
3. Circa determinationem bonæ sustentationis Authores non conveniunt.
4. Quibusdam Beneficiis alia adhuc onera præter Breviarium sunt annexa.
5. Etiam tenue Beneficium rationem veri beneficii retinet.
6. Eti-

6. Etiam tenuē Beneficium ad horas quotidie dicendas obligat Beneficiatum.
7. Recipiens obligationem etiam sub tenui mercede, tenetur illam implere.
8. Beneficium insufficiens est verum Beneficium, licet eidem adhuc aliud adjici possit.
9. Qui nullos fructus percipit non habet Beneficium, bene autem aliquos percipiens.
10. Ad Altare non tenetur servire, qui nullos omnino fructus percipit.
11. Sola merces improporcionata invito imposita est æquitati naturali contraria.
12. Talis Beneficiatus se ultro ad horas quotidianas ob leve salarium obligavit.
13. Militi quotidiana sua obsequia exhibenti ob promissam tenuem mercedem, hæc sufficiet.
14. Ex pluribus beneficiis insufficientibus sufficientem sustentationem recipiens justum stipendium accipit.
15. Ad alia ultra horas officia Ecclesiæ præstanda obligatus, ab illis non erit exemptus.
16. Ad quid restituendum talis Beneficiatus omisis horis sit obligatus?
17. Quid, si toto anno omiserit Breviarium.
18. Non perfectè possidetur beneficium primò annò, cujus redditus non ipsi Beneficiato applicantur.
19. Maritus etiam modicam voluntariè accipiens dotem, uxorem alere tenetur.
20. Juxta Palaum ab horis non erit excusatus, qui munera cætera aliis obeunda datis suis redditibus relinquit.
21. Ab horis non excusatur Beneficiatus minorennis, qui aliis Missas legendas relicto eidem tenui suo stipendio commisit.

Resolvitur Quæsitum.

Utrum Clericus habens valde tenuē beneficium ad recitandas horas quoad singulos dies sit obligatus?

NOta 1. Cùm Beneficium sit jus percipiendi fructus ob aliquod officium, infertur nullum esse beneficium, quod nul-

nullos fructus Beneficatio tribuit. Ita Garzias de Benef. 3. part. cap. 1. n. 41. Suarez lib. 4. cap. 19. n. 6. Palao de oratione disp. 2. pun. 1. §. 2. num. 8.

² Not. 2. Tenue beneficium dici, cujus fructus sunt adeò tenues, ut ad bonam partem moderatæ Clerici sustentationis non sufficient.

³ Not. 3. Circa determinandam partem bonæ sustentationis Authores nequaquam consentire. Etenim Sotus ad 10. aureos extendit, ad 15. Lessius, Arragon arbitrio prudentis relinquit, quòd si redditus tertiam non attingant congruæ sustentationis partem, nequaquam attingent bonam moderatæ sustentationis partem Suarez lib. 4. cap. 21. n. 2. Palao cit. n. 8. afferit hisce temporibus nequaquam bonam partem sustentationis moderatæ attingere beneficium, cujus redditus sunt triginta vel quadraginta aurei, eò quòd nunc tot aurei non sufficient.

⁴ Not. 4. Quædam Beneficia præter obligationem recitandi Breviarium habere quoque annexa adhuc alia onera; alia au-

tem ad solas horas Beneficium obligare.

Not. 5. Etiam beneficium tenue veram rationem beneficii retinere. Ratio est; quòd sit jus percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis propter officium spirituale. His præmissis

Dico, beneficium etiam tenue obligare suum Beneficium ad recitandas horas quotidie. Ita sentiunt Sylvester, Vasquez, Navarrus, Squillanus, Ugolinus, Garzias, Naldus, Carolus Maignus, Beja, Pesantius, Suarez de Relig. tom. 2. lib. 41. c. 21. n. 3. & 9. Valentia, Toletus, Filliucius, Reginaldus, Azorius 1. p. lib. 10. c. 3. q. 3. Laym. n. 4 q. 5. Barbosa citat apud, & cum Bonac. de officio Divino disp. 1. q. 2. pu. 4. n. 17. Palao de Orat. disp. 2. pu. 1. §. 2. n. 9.

Probatur Concl. Beneficium tenue est verum & propriè dictū beneficium, sed omne beneficium obligat ad recitandas horas: ergo etiam obligat beneficium tenue. Prob. min. ex Concilio Laternansi, nec non ex Bulla Pii V. omnes habentes verum beneficium nullo facto discrimine inter pingue aut tenue, obligantur

tur ad officium Divinum recitandum : ergo si etiam tenue est verum beneficium, etiam istud obligabit suum Beneficiatum ad recitandas horas.

Confirmatur. Tenue beneficium non minus ac pingue & sufficiens concedit suo Beneficio omnia privilegia veris Beneficiatis convenientia : ergo etiam erit verum beneficium, & cum sentire debeat onus, si sentit commodum, etiam tenuis Beneficiatus debet recitare Breviarium. Confirm. 2. Quando Sacerdos à suo beneficio suspenditur, erit hic etiam suspensus à tenui beneficio : ergo istud veri beneficii rationem habebit.

7 Respondent adversæ partis patroni, inter quos numerantur Sotus *de Inst. q. 5. art. 3.* Riccius. S. Thomas *2. 2. q. 82. art. 12.* tenue beneficium esse quidem verum beneficium, interea Ecclesiam nolle talem Beneficiatum propterea obligare ad recitandum quotidie Breviarium : Rationem autem præsumendi hanc mentem de Ecclesia esse, quia merces debet esse proportionata labori, tenue verò beneficium non est proportionata

merces obligationi quotidie recitandi Breviarium.

Sed contra est, qui conscius promissæ mercedis etiam exiguæ quandam obligationē sponte in se recipit, tenetur stare & implere promissa in tali conventionē facta : sed Beneficiatus tenuium reddituum conscius, tamen accepit beneficium, & per hoc se obligavit ad omnia onera beneficio per se annexa : ergo non obstante tenuitate reddituum tenebitur recitare etiam quotidie horas Canonicas.

Confirm. Qui tanquam voluntarius miles absque ullo, vel modico stipendio suam operam in bello offert, tenetur ad officia militaria instar illorum, qui pro justo stipendio militant : ergo idem de nostro Beneficiato erit tenendum.

Confirm. 2. Si vir faminam cum modica dote scienter duxit in matrimonium tenetur eandem alere non secus, ac si sufficientem dotem eidem attulisset : ergo idem de nostro Beneficiato erit tenendum : volenti etenim non fit injuria.

Confirm. 3. Qui ob grandinam, pruvinam, vel ob alium

P p

cœli

cœli fortuitum casum consuetos & sufficientes fructus non percipit, nihilominus tenetur ad horas recitandas: ergo tenuitas fructuum non liberat ab onere recitandi Breviarium.

Confirm. 4. Qui plura beneficia ex concessione Pontificis possidet, non tenetur ad idem officium eodem die sæpius pro pluralitate beneficiorum recitandum: ergo obligatio recitandi horas non oritur ex sufficientia & pinguedine reddituum.

Confirm. 5. Omne beneficium datur propter officium: ergo Beneficiatus habens tenues redditus, sed nullum aliud onus, tenebitur recitare Breviarium. Prob. conseq. si foret excusatus, hoc beneficium daretur sine officio, & non propter officium.

Confirm. 6. Sicut Ecclesia Clericos omnes majoribus initiatos potuit, & actu obligavit ad horas, ita etiam potuit obligare Beneficiatos percipientes etiam tenues redditus, & quòd de facto obligaverit ita, probatur ratione superius allata.

Confirm. 7. Si tenues redditus habens, & ad nullum aliud officium obligatus à recitandis

horis excusatur, ille percipiet redditus, & nihil tamen faciet, hoc autem est nimis laxum, cùm beneficium detur propter officium.

Audiamus nunc rationes contrarium sentientium.

Objic. 1. Beneficiatus in minoribus constitutus non obligatur ad horas ratione sui Ordinis, nec ratione beneficii: ergo &c. Probatur antec. quoad 2. membrum. Talis Beneficiatus vel omnino non habet beneficium, vel si, quod habet, ex hoc non tenebitur ad horas quotidie recitandas: ergo &c. Prob. antec. Talis habet beneficium insufficienti, ergo omnino nullum habet. Prob. conseq. insufficienti beneficium simpliciter non est beneficium: ergo si habet insufficienti simpliciter non habet beneficium. Prob. antec. *vi cap. Is cui: de prabendis in 6.* habenti insufficienti potest conferri beneficium: hoc tamen vi hujus ipsius Capituli non potest conferri habenti beneficium sufficienti: ergo insufficienti omnino non est beneficium. Prob. conseq. non habenti potest conferri beneficium, & habenti non potest con-

conferri beneficium: ergo si habenti insufficiens potest conferri beneficium, insufficiens non erit beneficium. Resp. neg. antec. quoad 2. membrum: in hujus probatione nego, quòd omnino non habeat beneficium in hujus probatione concedo antec. & dist. conseq. ergo insufficiens omnino non est beneficium, si ideo habenti sufficiens non posset conferri aliquod beneficium, quia soli non habenti potest aliquod conferri. conc. conseq. si hoc non possit conferri ob aliam rationem, quam assignatam, neg. conseq. Ecclesia horret pluralitatem beneficiorum in eadem persona ob diminutionem cultus Divini: admittit autem, ut habenti beneficium ad congruam sustentationem insufficiens adhuc aliud conferatur: ergo ex eo, quod insufficiens habenti beneficium possit conferri, non autem habenti sufficiens: non probatur, quòd insufficiens non sit sufficiens beneficium.

9 Objic. 2. Etiam si insufficiens concedatur esse verum beneficium, hoc tamen non obligabit, ad recitandas quotidie horas: ergo non dabitur hæc obli-

gatio. Prob. antec. beneficium, quod nullos habet redditus, non obligat ad ullum Breviarium: ergo neque illud, quod habet tenues. Prob. conseq. habere tenues redditus, est idem, ac habere omnino nullos, ergo si nullos habens redditus non obligat, neque alterum obligabit. Prob. antec. parum pro nihilo reputatur: ergo &c.

Resp. neg. ante. in hujus probatione conc. antec. neg. conseq. in hujus probatione nego antec. ut etiam, quòd in hoc casu parum pro nihilo reputetur: si enim habet aliquos redditus, tunc datur jus percipiendi redditus saltem tenues: ergo habebitur beneficium juxta cap. *Si proponente de rescriptis*: & cap. *Si motu proprio de præbendis in 6.* si autem omnino nullos habeat, tunc non habebitur beneficium, quòd si autem habetur beneficium, licet hoc tenue sit, dabitur obligatio ad horas, cum oriatur obligatio ista ex habito beneficio.

Objic. 3. Habens beneficium tenue non potest sustentari ab altari: ergo non tenebitur recitare Breviarium. Prob. conseq. si non potest sustentari ab

altari non tenetur servire altari: si non tenetur servire altari, non tenetur recitare Breviarium: ergo non tenetur recitare Breviarium. Prob. maj. juxta Apostolum, qui servit ad altare, etiam comedat de altari: ergo qui non comedit de altari, non serviat etiam ad altare.

Resp. conc. antec. neg. conseq. in hujus probatione concess. antec. dist. conseq. ergo qui omnimode, & nihil comedit de altari, non debet servire ad altare. conc. conseq. ergo, qui saltem aliqualem & inadæquatam habet sustentationem, non tenetur servire ad altare: neg. conseq. vel sub dist. nisi ipse consenserit ad hanc inadæquatam sustentationem sui, conced. conseq. si ipse in hanc ultro, & non coactus consenserit neg. conseq.

II Objic. 4. Obligatio recitandi Breviarium singulis diebus, licet beneficium sit tenue, est Juri & æquitati naturali contrarium: ergo non dabitur. Prob. antec. merces valde improporcionata labori & oneri est æquitati & Juri naturali contraria: sed dicta obligatio recitandi Bre-

viarium singulis diebus, quando beneficium est tenue, est talis improporcionata merces: ergo est Juri naturali contraria. Probat. maj. Jus naturale exigit, ut merces & opus proportionem inter se habeant: ergo si hæc sint improporcionata, erunt contra jus naturale.

Resp. neg. anteced. in hujus probatione disting. maj. merces valde improporcionata labori est juri naturali contraria, si invito imponatur, conc. maj. si volenti, & ultro se offerenti imponatur: neg. maj. & dist. min. sed dicta obligatio est talis improporcionata merces ultro tamen, & spontaneè se offerenti imposita conc. min. renitenti, & reclamanti imposita neg. min. & conseq. potest aliquis se offerre ad serviendum alteri omnino gratis: ergo etiam pro justo minore mercede.

Objic. 5. Tenue beneficium habens, habet quid tenue, & parum quid accipit: ergo non potest obligari ad recitandas singulis diebus horas Canonicas, Prob. conseq. tantum obligatur ad quid modicum, & ad parum, qui parum accipit: ergo si ha-

bens

bens tenue beneficium parum quid accipit, etiam ad parum duntaxat obligatur. Subsumo, sed recitatio singulis diebus Breviarii, non est quid parum, ergo ad hanc non obligabitur habens tenue beneficium.

Resp. conc. antec. neg. conseq. in hujus probatione concessio toto enthymemate, & antecedente subsumpto, dist. conseq. ergo habens tenue beneficium non obligabitur ad horas quotidie recitandas, si non ultro & sponte in hanc obligationem consenserit, conc. conseq. si ultro in illam consenserit, neg. conseq.

13 Objic. 6. Miles præstans in bello quotidiana sua obsequia Duci, meretur in singulos dies congruam sustentationem: ergo etiam obligatus ad recitandum singulis diebus Breviarium meretur singulis diebus congruam & sufficientem sustentationem. Subsumo: atqui tenue beneficium non præbet talem quotidianam sustentationem suo Beneficiario: ergo hic non tenebitur ad recitandum quotidie Breviarium.

Resp. con. ante. & in consequente totius primi enthymematis

subsumpto concedo antecedens, & dist. consequens: ergo habens tenue beneficium non tenetur ad recitandum quotidie Breviarium, si non ultro in hanc obligationem sub dicta conditione consenserit, conc. conseq. si ultro in hanc consenserit: neg. conseq.

Objic. 7. Ponamus quendam habere plura tenuia beneficia, quibus omnibus competenter possit magna ex parte sustentari, etiamsi quodlibet beneficium sit insufficiente: saltem talis non obligabitur ad horas. Probatur: nullum habet beneficium, quod ipsi congruam sustentationem afferat: ergo &c. Respon. neg. in probatione dist. antec. nullum habet beneficium sufficiens, ut tamen plura habeat, quæ simul accepta sunt sufficientia conc. ut hoc non sit: neg. talis iustum stipendium oneris ab Ecclesia accipit licet ex diversis beneficiis. Ita Suarez *lib. 4. de hor. Can. cap. 21. n. 12.* Garzias *3. p. de benef. c. 1. n. 39.* Bonac. *disp. 1. q. 1. pu. 4. num. 18.* Palao *de hor. Can. disp. 2. pu. 2 § 2. n. 10.*

Objic. 8. Multi Beneficiarii præter obligationem Breviarii

P p 3

sunt

sunt adhuc obstricti ad alia obsequia Ecclesie præstanda: ergo saltem tales non erunt obstricti ad recitandum quotidie Breviarium. Prob. conseq. ejusmodi tenues redditus sunt adæquata merces assignata pro cæteris obsequiis: ergo non tenebuntur recitare Breviarium. Resp. conc. antec. neg. conseq. in hujus probatione transm. antec. dist. conseq. ergo non obligantur ad horas, nisi condixissent ultro, quòd tum ratione Breviarii recitati, tum aliquorum obsequiorum velint esse contenti tali mercede, con. conseq. si in hoc consenserint, neg. conseq.

16 Urgent: Vel talis Beneficiatus esset obligatus ad restitutionem correspondentium diei, pro quo omisit Breviarium, vel non esset obligatus? neutrum potest dici: ergo nec id, ex quo id sequitur. Probatur: quòd non sit obligatus; si restituere deberet fructus, tali diei correspondentes, reliqua officia cogere sine mercede præstare Ecclesie: hoc est inconveniens: ergo & id, unde hoc sequitur. Si dicatur, quòd nihil debeat restituere, ergo ratione Breviarii recita-

ti nihil accepit, quia quòd ratione hujus laboris accipit, debet restituere. Si autem nihil accipit ratione recitati Breviarii, ad hoc non obligabitur: ergo ad hoc simpliciter non est obligatus.

Respondetur, quòd per se sit¹⁷ obligatus ad restitutionem saltem aliquam fructuum illi diei, pro quo omisit Breviarium, correspondentium: quia autem hæc pars est valde modica, eo ipso, quòd totum salarium sit valde tenue: ergo sub gravi non tenebitur quid de fructibus remittere.

Urgent: Ponamus casum, quòd aliquis talis Beneficiatus toto anno nunquam recitaverit Breviarium, reliqua tamen officia sua obiverit, non potest dici, utrum sub gravi teneatur totam summam annuam restituere, vel dimidiam, vel omnino nihil. Resp. Si tales redditus quotidiani coalescunt in unum, & summam gravem constituent, dandam obligationem gravem restituendi.

Objic. 9. Beneficiatus, qui¹⁹ primò annò non recipit fructus, eò quòd isti applicentur fabricæ, aut alios in usus, non tenetur pro illo

illo tempore recitare Breviarium: ergo nec tenebitur, qui valde tenue habet beneficium. Probatur conseq. Si iste posterior teneretur, etiam prior esset obligatus: ergo si prior non est obligatus, nec erit posterior. Prob. antec. habens tenue beneficium est obligatus ad recitandum Breviarium, quia simpliciter habet beneficium; sed etiam alter, cujus beneficii fructus alteri applicantur, simpliciter habet aliquod beneficium: ergo etiam alter tenebitur Breviarium recitare. Resp. transmissio antecedente neg. conseq. in hujus probatione nego antecedens. Deinde dist. maj. habens tenue beneficium obligatur, quia habet beneficium perfectè, & completè, conc. maj. quia habet beneficium imperfectè, ac incompletè, seu modo quocunque. neg. maj. & dist. min. sed etiam alter, cujus beneficii reditus applicantur alteri, quàm Beneficiato, habet beneficium modo quocunque, seu imperfecto, conc. min. modo perfecto, & completo neg. min. & conseq. ut habeatur beneficium completè, debet haberi jus ad reditus percipiendos,

hoc ponitur habere tenue beneficium possidens, illo autem caret Beneficiatus, cujus reditus applicantur alteri.

Objic. 10. Uxorem, quæ¹⁹ nullam dotem attulit marito, hic non tenetur alere: ergo etiam Beneficiatus non tenetur recitare Breviarium, si illi suum beneficium modicos seu nullos fructus affert. Resp. dist. ante. non tenetur illam alere, si uxor dotem promisit, & postea non exolvit, conc. antec. si nullam, vel modicam tantum promisit, & maritus hujus conscius consensit, neg. antec. & conseq. etiam indotatam tenetur maritus alere, si talem conscius duxit remissa dote, imò potest vir ipse suam uxorem dotare.

Adjungere istis, pro coronatione²⁰ de placuit, quæ Palao *de oratione disp. 2. pu. 1. §. 2. n. 10.* asserit, quòd si beneficio sint alia onera annexa, assistentia v. g. in Missa, in Choro, quæ si aliquis per se ipsum præstet, poterit tertiam partem sustentationis congruæ obtinere, talem Beneficiatum non fore excusatum à recitatione Breviarii, si illa munera curet peragi ab alio, & huic dein reditus

tus

tus donet. Rationem dat, quia per se tale stipendium datur ob recitationem horarum, utpote quod est præcipuum officium Beneficiati: quòd igitur talia munera per alium obeantur, & alii donentur redditus, est per accidens, quod non mutat naturam beneficii. Dein licet tale stipendium sit justum pro cæteris laboribus, principaliter tamen datur, uti diximus propter recitationem Breviarii. Palao ipsi consentit Suarez *lib. 4. de Horis cap. 21. n. 10.*

21 **Objic. II.** Ponamus cuidam beneficio esse annexam obligationem legendi annuatim certas Missas; quia autem Beneficiatus adhuc est in minoribus constitutus, hinc iste substituit alium, cui pro legendis Missis debet omnes suos tenues redditus relinquere, talis Beneficiatus non erit obligatus ad Breviarium. Prob. nullus fructus percipit. Prob. debet istos omnes

relinquere legenti Missas: ergo &c. Resp. neg. antec. in hujus probatione nego, quòd nullos fructus percipiat: Dein, concedo, quòd istos omnes debeat relinquere alteri, nego tamen, quòd nullos percipiat, eo ipso enim, quòd penes ipsum sit eligere Sacerdotem, quem voluerit, & tradere huic stipendium, Beneficiatus Minorista illos redditus primò suos facit, & dein illos dat alteri, nam posse substituire aliū in parte suæ obligationis, non eximit Beneficiatum ab onere recitandi Breviariū. Quod manifestum est, si Beneficiatus sit ipse Sacerdos, & posset legere, substituit tamen alium, obligatio autem personalis qualis est recitandi Breviarium, non potest transferri in alium. Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. num. 172.* Azor. *1. p. lib. 10. cap. 4. quæst. 8.* Bonac. *disp. 1. de Hor. Can. pu. 4. num. 20.*

